

## 1339-1339- OFP - Acta Capitulorum Generalium apud Claromontem Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
 Hec sunt acta capituli generalis apud Claromontem celebrati  
 anno Domini · M° · CCC° · XXXIX° ·

### **Iste sunt ordinaciones et admoniciones.**

Cum intellexerimus, quod studium in aliquibus provinciis neglectum sit notabiliter et collapsum, et ex hoc verisimiliter timeamus, ne in illis provinciis ordo noster veniat in contemptum, volumus et ordinamus ac omni distinctione, qua possumus, iniungimus et mandamus, quod singuli priores provinciales in suis provinciis et vicarii eorum generales ac diffinitores capitulorum provincialium provideant de studiis theologie, phylosophie naturalis et arcium taliter, quod ad minus in singulis provinciis sint duo studia theologie et duo philosophie naturalis et duo arcium; in quibus deputentur lectores ad hoc ydonei et studentes, qui per provinciales et diffinitores compellantur per penas graves et per preceptum, si oporteat, legendi, studiendo, disputando, studio insistere et lectiones suas cum ceteris actibus scolasticis continuando cum diligencia exercere. Quodque lectores principales in singulis conventibus compellantur usque ad festum Iohannis baptiste ad minus suas lectiones continuare, contraria quacumque provinciarum consuetudine non obstante. Inhibentes districte, ne lectores, qui suas in scholis non continuant lectiones, gracie quibuscumque, titulo lectoratus gaudeant nec lectores re vel nomine reputentur.

Item. Cum circa ea, que pacis sunt, studere summopere debeamus, et omnem turbacionem ordinis precavere, inhibemus fratribus universis, ne ex causa aliqua nisi nimis necessaria et urgente occasionem assumant in Romana curia litigandi, set tanquam nuncii pacis et veri pauperes spiritu prelatis et rectoribus ecclesiarum cum humilitate reverenciam exhibeant et caveant ab illis, que possent ipsorum prelatorum et rectorum notabiliter turbacionem contra ordinem generare.

Item. Cum secundum sentenciam apostoli servos Christi non deceat litigare, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, ut nullus frater de cetero quocumque modo, verbo vel scripto se de placitis vel negociis secularibus ex se odiosis vel litigiosis aliquatenus intromittat, nisi in casu multum necessario et utili eius priori provinciali vel conventuali, communicato super hoc plurium discretorum fratrum consilio, aliud videatur.

Nullusque, cuiuscumque condicionis aut auctoritatis existat, sub eodem tenore precepti de guerris aut guerrarum negotiis directe vel indirecte intromittere se presumat, alioquin ex vi presentis statuti ad penam carceris se reputet condempnatum.

Item. Cum secundum regulam nostram nullus frater debeat ire solus, nec gravi suspicione et scandalo careat, quod frater solus sine socio vagetur, volumus et ordinamus, quod quicumque frater per provinciam solus discurrens, si inventus fuerit, nisi se gratis conventui et ordini obtulerit, capiatur et includatur ac inclusus teneatur, nisi possit de causa legitima docere, que possit eum legitime excusare, quousque per priorem provincialem ipsius secundum eius merita aliter fuerit ordinatum. Et quia ex eo quod multi fratres litteras habent a magistro ordinis, quod possint eligere provincias Grecie et Terre sancte vel societatem peregrinancium inter gentes, sequitur incertitudo multorum, ad quas provincias pertineant, et horum pretextu frequenter vagi discurrunt, fugientes ordinis disciplinam, omnes istas litteras de diffinitorum consilio et assensu magister ordinis revocat et annullat.

Item. Volumus et ordinamus et distinctione, qua possumus, presidentibus imponimus, quatenus fratres, qui ad provincias Grecie, Terre sancte et societatem peregrinancium se hactenus contulerint seu in posterum se conferent, de quorum assignacionibus non constabit clare, quod a predictis provinciis et societate quamcivius expellantur et ad provincias, unde venerint, quantocius remittantur; statuentes et ordinantes, ne fratres societatis peregrinancium ad provincias Grecie vel Terre sancte seu de provincia Grecie ad provinciam Terre sancte vel eciam e converso, virtute generalis commissionis in posterum transferri valeant seu mutari nisi hoc clare in litteris magistri ordinis sit expressum. Intimantes fratribus universis, omnem graciem generalem seu specialem factam hactenus per magistrum ordinis super hoc cuicunque per eundem magistrum ordinis fuisse in diffinitorio revocatam.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus notorie illegitimus recipiatur ad nostrum ordinem nisi de prioris provincialis sue provincie licencia speciali; quam non concedat nisi ex causa evidenti et condicione persone eidem ad magnum bonum ordinis cedere videatur.

### **Iste sunt absoluciones.**

Absolvimus hos priores provinciales Grecie, regni Sicilie, Romane provincie et Anglie.

Et conventuales Blesensem, Methensem, Antisiodorensem, Pruvinensem, Divionensem, Montis Meliani, sancti Quintini, Pontensem, sancti Iohannis, Ypensem, Constanciensem, Lexoviensem, Dynanensem, Montis Relaxi et Camperliensem.

Et volumus et ordinamus, quod priores absoluti in eisdem provinciis et conventibus isto anno ad eadem officia nullatenus resumantur.

### **Ista sunt suffragia pro vivis.**

Pro sanctissimo patre ac domino domino nostro summo pontifice et bono statu tocius ecclesie quilibet sacerdos . iii . missas; et ordinamus, quod in quolibet conventu sit ebdomadarius pro eodem.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino Mattheo cardinali Sabinensi<sup>1</sup> quilibet sacerdos · ii · missas.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino Gaucelino Iohannis cardinali, summo penitenciario quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino Petro cardinali Rothomagensi quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis dominis cardinalibus episcopis domino Ostiensi, domino vicecancellario, domino Convenarum, domino Albano quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis cardinalibus domino Eduensi, Petragoricensi, domino Petro Yspano, domino de Puteo, domino Rhutinensi, domino Gozio, domino Neapoleone, domino de Monte Favencio, domino de Mota, domino Iacobo Gayetano, domino de Fargis, domino de Columpna quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis dominis cardinalibus, domino Ebredunensi, domino Albo, domino Montis Olivi quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino patriarcha Ierosolimitano<sup>2</sup> et passagio Terre sancte quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino archiepiscopo Tholosano quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis dominis episcopis Novariensi, Ruthinensi, Theatino, Brixensi quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino episcopo Claramontensi quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabilibus dominis domino patriarcha Aquiliensi et dominis archiepiscopis Panormitanus nepote domini Mathei, Lugdunensi, Sennonensi, et dominis episcopis Cremonensi<sup>3</sup>, Verdensi, Gurcensi, Lemovicensi, Podiensi, Noviomensi, Rivensi, Castrensi, sancti Flori, Engolismensi, domino fratre Exmando episcopo quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino preposito et venerabili collegio ecclesie Claromontensi et collegiis Lugdunensi, Podiensi, Brivacensi, Bilonii, sancte Marie Portus, sancti Genesii, domino priore hospitaliorum in Alvernia, et pro dominis abbatibus de Casa Dei, Ysidori, Magni Loci, sancti Andree Piperiaci, et domina abbatissa Belli montis quil. sacerdos · i · mis.

Item. Pro serenissimo principe domino Philippo rege Francie et domina regina consorte sua et bono statu regni sui quil. sacerdos · iii · mis.

Item. Pro duce Normannie et domina ducissa consorte sua et liberis eorumdem ac domino fratre suo Philippo quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino rege Anglie et domina regina consorte sua ac liberis eorumdem ac bono statu regni sui quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino rege Castelle, domina regina consorte sua ac liberis eorumdem ac bono statu regni sui quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino rege Cypri, domina regina consorte sua ac prole eorum et bono statu regni sui, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro illustri domina domina Iohanna, quondam regina Francie, relicta quondam Karoli quondam regis Francie et recommandatis per eam, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro dominis regibus Navarre, Maioricarum, Ungarie, Boemie, et pro nobilibus principibus domino duce Borbonii, domina ducissa consorte sua, domino comite Blesensi, et domino comite et comitissa Sabaudie, et dominabus comitissis Bonorie antiquiori et iuvene, domina de Castro Villani, domina Montis Fortis, comitissa Petragoricensi, comite Montis Fortis, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino comite Alanxonis, domina comitissa consorte sua ac liberis eorumdem quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro illustrissimo domino delphyno Viennensi, domina delphyna consorte sua, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro illustrissimo domino domino de Alleto, matre domini Iohannis Cabulensis, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino de Caletto, domicella Yolande filia eius, quilibet sacerdos · i · missam de spiritu sancto.

Item. Pro domino comite de Alvernia, domina comitissa consorte sua ac liberis eorum quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino vicecomite de Pologniaco, consorte sua ac liberis eorum quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino comite Drocaram, domino Azzone vicecomite, domino Mediolanensi, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino Roberto milite, domino Alberto de Suardis, domino de Meldonia, domina delphyna consorte sua ac liberis eorumdem quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino Reginaldo de Ponte, vicecomitissa de Brucia, eius consorte, cancellario Francie, domino Egidio Esselini, domino de Brolio Barrarum et filio suo ac recommendatis per eam, Elisabeth et Katerina de

<sup>1</sup> De fr. Mattheo de Ursinis aliisque cardinalibus cf. supra pag. 212 et EUBEL l.c. pag. 14 sqq.

<sup>2</sup> De fr. Petro cf. supra pag. 213 l. 3.

<sup>3</sup> Hugolino de s. Marco (al. de Monasterio) O. Praed.; cf. EUBEL l.c. pag. 222.

Gandavo, Katerina de Crecles, domina Renibalda et domina Esmeralda de Cathena et domina Martina de Gutuariis, domina Glora de Gardinis, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino comite Alvernies quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro sororibus Maria de Claromonte, Ysabella de Valesio, Ysabella de Atrabato, Maria de Britannia, Aliana, Margareta, Katerina de Salucis, domina Benedicta de Flisco, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro sorore Beatrice de Kaioto et recommendatis per eam, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro fratre Stephano de Brolio, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro magistro ordinis et recommendatis per eum quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro fratribus et sororibus nostris, fratribus minoribus et hiis, qui habent litteras de beneficiis ordinis, et qui receperunt fratres venientes ad capitulum et recipient redeentes, et pro benefactoribus capituli generalis quilibet sacerdos · iii · missas.

**Ista sunt suffragia pro defunctis.**

Pro dominis regibus Francie Phylippo quondam patre, Ludovico, Philippo et Karolo filiis eiusdem, domino comite de Valesio quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino Guillelmo Petri, quondam cardinali Sabinensi episcopo<sup>4</sup> quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino quondam archiepiscopo Nichosiensi<sup>5</sup> et quondam fratre Iordano episcopo Bobiensi<sup>6</sup> quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino Iohanne filio quondam regis Aragonie, nuper defuncto; quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domina Ysabella domina de Aspermonte quilibet sacerdos · i · missam. Item. Pro domino comite Pictaviensi, comite quondam Ebroycensi, domina Martide, quondam comitissa Attrabatensi, Lescone quondam duce Racubonensi, domino de Sueliaco, et pro vivis et defunctis recommendatis per dominam ducissam Borbonii, magistro Guillelmo de Costa, matre fratris Hugonis monachi, domicella Iohanna de Romirayo, domino Iacobo de Benzonibus et aliis personis defunctis, pro quibus elemosyne misse sunt ad capitulum generale, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domina Maria de Vauscemann, matre reverendi patris magistri ordinis, fratribus et sororibus suis et propinquis defunctis, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro fratribus et sororibus nostris defunctis et hiis, qui habuerunt litteras de beneficiis ordinis, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro qualibet missa superius posita quilibet clericus non sacerdos septem psalmos cum letania, et conversi centum pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Denunciamus fratribus universis, quod frater Ekkhardus diffinitior capituli generalis Valencie celebrati de provincia Saxonie mortuus est redeundo de capitulo generali<sup>7</sup>.

Instituimus et facimus provinciale in provincia Grecie fratrem Iacobum de Ripis de conventu Ferrarie de provincia Lombardie inferioris.

Item. Facimus vicarium generalem in provincia regni Sicilie fratrem Fredericum de Neapoli, priorem monasterii sancti Petri ad Castellum, donec prior provincialis electus fuerit et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Item. Facimus vicarium generalem in provincia Romana fratrem Andalo inquisitorem Paduanum de provincia Lombardie inferioris, donec prior provincialis electus fuerit et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Item. Facimus vicarium generalem in provincia Anglie fratrem Hugonem de Sutona, magistrum in theologia de provincia Anglie, donec prior provincialis electus fuerit et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Petrum de Strozzis de provincia Romana<sup>8</sup>.

Item. Assignamus, quantum nostra interest, pro anno sequenti ad legendum sentencias Parisius fratrem Petrum de Caritate de provincia Francie<sup>9</sup>.

Item. Assignamus lectorem in conventu Tholosano fratrem Gerardum de Dommaro de provincia Tholosana<sup>10</sup>.

Item. Assignamus lectorem in conventu Salemantino fratrem Iohannem de Turre de provincia Yspanie.

Item. Assignamus lectorem in conventu Ulisbonensi fratrem Fernandum Lupi de provincia Yspanie.

Item. Assignamus lectorem in conventu Neapolitano fratrem Iohannem de Aversa iuniorem de provincia regni Sicilie.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et lectoribus biblie ordinet et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Letania et salve regina more solito dicantur.

Sentencias iudicium approbamus.

<sup>4</sup> De fr. Guilelmo Petri cf. supra pag. 212 l. 9.

<sup>5</sup> De fr. Iohanne cf. supra pag. 213 l. 9.

<sup>6</sup> De fr. Iordano de Monte Cucco O. Praed. cf. EUBEL l.c. pag. 143.

<sup>7</sup> De fr. Eckehardo cf. SSOP. I. pag. 593; DENIFLE l.c. pag. 148, 322.

<sup>8</sup> De fr. Petro de Strozzis cf. DENIFLE l.c. pag. 481; SSOP. I. pag. 651.

<sup>9</sup> De fr. Petro de Caritate cf. SSOP. I. pag. 633.

<sup>10</sup> De fr. Gerardo de Domaro cf. ibid. pag. 609.

Sequens generale capitulum assignamus in conventu Mediolanensi in provincia Lombardie superioris, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant. Nullus autem alius, etsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante · viam · feriam festum pentecostes immediate precedentem.

Quicunque autem ad capitulum generale sine licencia magistri ordinis venerit, vel cum intencione veniendi ad capitulum de conventu suo iter arripuerit, ipso facto sit omni voce privatus, ad quam restitui non possit, nisi per magistrum ordinis vel per capitulum generale.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod mittant infra sequens capitulum generale fratri Rostagno de Anceduna, procuratori ordinis in Romana curia, pro qualibet provincia tres florenos pro anno presenti et pro anno preterito alias tres florenos; qui non solverunt sub eodem tenore precepti infra natale domini proximo futurum satisfacere teneantur.

Explicita sunt litterae magistri ordinis apud Claromontem celebrati.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cfr. app. n. LXXXV.